

*Seniensis* vero dioecesis condita vel restaurata fuit intra finem saeculi XI vel sub initium sequentis, territorium vero ejus pressius determiniatum in concilio provinciali Spalati a. 1185 habito.<sup>42</sup> Series episcoporum ejus usque ad nostra tempora bene conservata pervenit.<sup>43</sup> In eodem hoc concilio condita fuit nova dioecesis *Corbaviensis* cum sede in oppido ejusdem nominis,<sup>44</sup> quae quidem a. 1460, ob Turcarum infestationes, translata Modruš<sup>45</sup> ac postea, Modruš eversa, episcopi corbavienses aliquo tempore migrarunt in castrum Novi, donec a. 1640 ipsa quoque dioecesis ab Urbano VIII Seniensi unita fuerit.<sup>46</sup> Anno deinde 1229 renovata fuit dioecesis *Sirmiensis*, quae cum Bosnensis partibus a Turcis liberatis unita a. 1773 sedem Diakovae nacta est.<sup>47</sup> Anno 1298 Bonifacius Papa VIII avulsione unius partis territorii episcopatus traguriensis creavit novam dioecesim *Sibenicensem*.<sup>48</sup> Haec dioecesis ad nostra usque tempora vivens sibi unita tenet territoria olim episcopatum Scardoniensis, Tinniensis atque maximam partem dioecesis traguriensis a. 1828 suppressae; ejus quoque Ordinario in administrationem commissum est territorium olim dioecesis No-

3. propterea catholici in necessitatibus religiosis, ad sacerdotes orthodoxos (schismaticos) pergunt. Ideo S. Congregatio in eadem sessione decrevit illam regionem Ordini Capucinorum committere: »Rescriptum: Quoad rationem subveniendi iis populis ex defectu parochorum, approbavit S. Congregatio expediens propositum a secretario instituendi ibi missiones Capucinorum.« (Archivum Prop., Acta 1664, v. 33, f. 25v—29v). Brevem historiam hujus dioecesis ejusque fidelium defectum ab Ecclesia et in schisma orthodoxorum lapsum vide in optima dissertatione Draganović K., Massenübersetzung von Katholiken zur »Orthodoxie im kroatischen Sprachgebiet zur Zeit der Türkenherrschaft, in Orientalia Christiana Periodica, III (1937), 202—204, sub titulo: Abfall der Katholiken der Diözese Trebinje.

<sup>42</sup> Farlati, IV, 116 ss.

<sup>43</sup> Farlati, IV, 117, Gams P. B., Series episcoporum Ecclesiae Catholicae, Ratisbonae 1873, 389—390.

<sup>44</sup> Farlati, IV, 91.

<sup>45</sup> Farlati, IV, 105.

<sup>46</sup> Farlati, IV, 112, 114; Senjska i modruška ili krbavska biskupija, in Stanojević, Narodna enciklopedija, IV, 79—80.

<sup>47</sup> Gams P. B., o. c. 378—379, Jelenić J., Bosanska ili Đakovačka i Srijemska biskupija, in Narodna enciklopedija, I, 256—257.

<sup>48</sup> Farlati, IV, 459 sq.